





8809

1767, 14.

S P E C I M E N  
C O N T I N E N S

C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S V M  
D E

I V R E  
A M I C A B I L I S C O M P O S I T I O N I S  
I N L I T E

Q V O D

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A

P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G

P R O F E S S O R. I V R. N A T. E T G E N T. P U B L I C. O R D I N.

E T S O C I E T A T. L I T E R. D V I S B V R G.

S O C I O

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

D I E I I. M A I I A N N O C I O C C I C C L X V I I.

P U B L I C E D E F E N D E T

I O A N N E S A V G V S T V S R I C H T E R

T A V T E W A L D. M I S N I C.

---

L I P S I A E

L I T T E R I S V I D V A E L A N G E N H E M I A E.





D E  
I V R E  
AMICABILIS COMPOSITIONIS  
IN LITE.



§. I.

Quo certius est, siuum cuius esse tribuendum,  
tamen non aequa expediti iuris est,  
quid ad τὸ siuum cuiusvis referendum.  
Oriuntur sane trecenties lites inter homi-  
nes, quibus quidem non adeo curae cor-  
dique est, iuste agere, modo vtile promoueatur, i. e. qui,  
quod conuenit propriae utilitati, id saluo iure se agere atque  
praetendere posse, credunt; sed non tamen ita genus hu-  
manum deprauatum est, vt nemo sit, qui, quod iustum sit,

A 2

non



non curet. Sunt utique adhuc, qui suum cuique tribuunt, et tribuerent, si *etiam suum* liqueret. Non ergo mirum, si inter hos quoque lites orientur, quibus *etiam suum* definitum: neque semper hominis rixosi signum est, versari in lite. At vero, quo minus carere possumus bellis forensibus, tamen omni prope tempore, et in hoc actionum genere, obtinuit prudentiae regula, prius omnia tentanda esse, quam ad arma perueniatur.

### §. II.

Ipsi in Romano Iure Decemviri ante, quam ad tribunal litigantes venirent, transactioni amicabilique compositioni cuncta tribuebant: Lex ait: ENDO VIA VTI PAICVNT ORATO. At partibus litigantibus hanc transigendi curam relinquebant. Et quamvis postea super alimentis relictis transfigere non licet, nisi auctore Praetore ex SCro D. Marci, tamen iudicem ante ingressum litis partes amica ratione publica autoritate prius componere tentasse, vix ciuitates leges fanciebant.

### §. III.

Neque communia postea patriae iura aliter haec definiuere, sed potius, si ad iudicem lis deferebatur, prius cuncta tentata esse putabant, quibus praescindi lis poterat. Neutquam tamen iudicis officio negarunt facultatem, cauendi, ne inutiliter et temere lites moueantur et protrahantur. Quare mota quaestio, an iudex partes litigantes cogere possit



possit ad amicabilem compositionem. Negant Interpretes, excepto casu iuris ambigui et controuersi, quam exceptionem tanquam perabsurdam taxat GYPHANIUS de Ordin. Iudicior. Tract. I. Cap. VII. p. 55. ex causa, quia transactioni tantum locus sit *in re dubia*. Sed vix hanc GYPHANII rationem dissentendi per video, quippe et dubium ius, dubia quoque res est, iura enim ad res pertinent. Arbitror, de iure nunquam partes litigantes cogi posse ad amicabilem compositionem. Idem enim esset, ac si iudex partibus sui copiam non ficeret, vel iustitiam denegaret. Secus vero si summum tribunal, quod sacra vice iudicat principis, ex prae-gnantissimis causis partibus necessitatem litis per amicam transactionem sopiendi imponat. cf. BRVNNEMANN de Processus civil. Cap. II. EBERWEIN de transactione cogenda. BECHMANN de amicabili compositione.

#### §. IV.

Introduxit ergo fori usus partim ex eo, quod in plures annos protrahi ceperint lites, partim ex sumtuum in lites inpendendorum grauitate, ut iudicis officio simul recentiores imponerent leges, antequam lis contestaretur, amicabilem compositionem inter partes tentare, an forsitan lis eiusque incommoda ita eutari possint. Reddit has causas ORDIN. PROC. SAX. ELECT. VET. Tit. I. §. 2. sondern so viel immer möglich, zuvor versucht werde, ob die Parteien entweder auf billige maße, in Güten zu vergleichen, oder da solches nicht statt finden wollte, zum wenigsten der Proces,



mit ihrer beyder Bewilligung per modum compromissi oder sonstigen eingezogen, vergebliche Zeit und Geldspildung er-sparet se. Seuerior vero de tentanda transactione est san-gio, quam ORD. PROC. SAX. ELECT. RECOGN. eod. Tit. habet, quippe quae non tantum expresse in omnibus terrarum Saxoniarum iudiciis hoc iudicij imponit officium, vt cuncta adhibeat, quo possit transactionem efficere inter partes, quaeque a iudice tentata, sua dictaque pro compo-nenda lite Actis inscribi iussit, addita sanctione poenali V. Thaleror. ab Polygraphis, Actuarii, Iustitiariis de suo sol-uendorum, ni hoc factum sit. Vidi tamen saepius Acta, in quibus paucis contentus fuerat Actuarius, testans, tentatam quidem amicabilem transactionem, sed resistentibus partibus demum a iudice impositum esse, vt ad litem veniant.

### §. V.

Videtur quidem lex plane nullam nec causarum, nec personarum distinctionem statuisse, in quibus atque inter quas iudex de euitanda lite sollicitus esse debeat: Obseruat tamen MYLIVS in Diff. Actuar. peccans in legem iudiciar. de composit. amicabili tentanda. ex Rescripto Elect. d. d. Dresden den 29. Aug. 1726. inter personas dignitate *nimum inaequales* amicam transactionem tentandam non esse, neque partes ad hanc compositionem citandas.

### §. VI.

Neque iudici hoc tantum officium imposuit Elector Sereniss. sed voluit quoque, vt Aduocati et Procuratores suas



7

suas conferant operas ad transactione sopiendas lites, sanctione hac addita O. R. §. 3. bey verspührten wiedrigen, oder andern ungebührlichen Bezeigen, erwarten, daß sie um s Dtschl. und höher bestrafft, oder auch, nach Besinden, in der Sache nicht weiter admittiret, auch wohl gar mit der Suspensione a Praxi begelet werden. In hunc quoque finem iuriiurando, quo adstringuntur Aduocati, clausula inserta: Und wie ingemein und in allen Sachen, so euch werden anvertraut werden, ihr zuforderst, wenn sie zweifelhaftig sind, mit allen Kräfftten, daß sie in der Güte möchten beygeleget werden, bemühet seyn sollet, &c. Hinc non videtur peccare iudex, qui, si Aduocati cum ipsis partibus compareant, illos, si transactioni aduersari videat, recedere iubet, quo possit legislatoris finem obtinere, nisi expresse pars litigans transactioni resilit, quippe, ut supra monuimus, coactio[n]i haud datur locus. cf. HAYM in *Stilo Curiae L. I. Tit. XX. §. V.*

### §. VII.

Caeterum, quamuis vtique ex lege Electorali iudex ad tentandam amicabilem compositionem teneatur; tamen possunt esse causae, vt nihilominus iudex grauiter non pecet, si non tentauerit amicabilem compositionem. Imo si plane iudex neglexerit amicam illam tractare transactionem, propterea processus nullus non erit. Non enim est de natura Processus, quippe non ad melius tractandam litem leges introducere eam, sed ad sopiendam potius causam. Nunquam ergo obiici poterit exceptio nullitatis vel con-  
quaeri



quaeri de nullitate, si dein iudex sententiam tulerit, quamuis non negem, ob negligentiam iudicem coerceri posse a superiori. Rectius enim bonique iudicis officio conuenientius aget, qui maxime in perplexis causis grauissimisque reiteratis tractationibus litem componere tentat. Idque interdum obseruari scio, maxime si iudex partes ad amicabiliem compositionem proclives videt, ut frustra tentata prima vice transactione, ipsae partes interim positiones ad Acta ferant, promissione autoritate iudicis inuicem data, finito den rechtlischen Verfahren absque vleriori citatione statim se ad iterum tentandam transactionem in iudicio stituras. Et quamvis iam in media lite sint, non peccabit iudex, si adhuc, quoties datur occasio, transactione finire litem tentat.

T A N T V M .




**ULB Halle**  
003 719 014

3



1078





# Farbkarte #13

B.I.G.

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black										
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19